



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitatio Ethica De Virtute Heroica Et Semivirtutibus

**Weiss, Johann
Schmoll, Wilhelm Bernhard**

Giessæ Hassorvm, 1664

I. Virtus heroica est necessaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35917

FERITAS (seu immanitas) est vitium extraordinarium, quo homo, excusso rectæ rationis iudicio, omnique humanitate abjectâ, bestiarum more, perpetrata, à quibus aliàs humanus animus naturaliter abhorret. 2. Magn. Mor. c. 6. *Immani hoc vitio laborârunt HERODES, qui infantes innocentissimos crudeliter interfecit: NERO, qui matris sue ventrem dissecuit, locum, ubi delituisset, visurus; Senecamq; Praeceptorem ad necem compulit: Sueton. Ner. c. 32. sq. IOHANNES BASILIDES, qui humano sanguine satiari non potuit. Guagnin. descr. Mosc c. 5. citante Henr. Nic. de mag. action. th. 19. p. 144. HATTO, Episcopus Moguntinus, qui circa ann. 970. pauperes ad se venientes in horreum inclusos omnes cremavit, illudens eis insuper hac voce: Audite vocem murium. Münst. Cosmogr. Et HELIOGABALUS, qui nudas puellas sibi prandenti & cenanti passus est ministrare.*

SUMMA IGNAVIA est vitium extraordinarium, quo homo omnem virtutis actionem reformidat ac fugit: *Exemplum hujus in se repræsentrarunt olim SIBARITÆ, quorum lex hæc fuit: Nemo nostrum frugi esto.*

A X I O M A T A.

I. Virtus heroica est necessaria.

Necessaria est (1) non respectu individui, ut reliquæ virtutes communes, quæ omnium bonorum sunt, & esse debent; sed ratione speciei, quat. v. del. Deus aliquando certo consilio ex genere humano heroës excitavit. (2.) Nō necessitate absolutâ, quasi Deus nec valeret, nec posset, nisi unice per heroës Ecclesiam seu Rempublicam conservare

vare; sed necessitate ⁵ *hypotheticâ*, quat. Deo placuit, per viros hac virtute exornatos, salutem suorum promoveres & à malis imminentibus liberare. Th. Sagitt. exerc. eth. exot. 16. th. 1. p. 390. Christ. Prætor. Ethic. *agēt.* cap. 15. quæst. 1. p. 459.

II. *Virtus heroica est divina.* 7. *Ethic. Nic. c. 1. l. 2. Magn. Mor. c. 6. & 6. Eudem. c. 1.*

Non ratione *subjecti*, quasi Deo secundum illud materiale, quod habet, prout datur in homine, propria fit; sed partim ratione *cause*, quia peculiari instinctu divino comparatur, (de quo ax. 6.) partim ratione *eminentia & similitudinis*, quia hominem supra communem illius consuetudinem evehens, Deo, quantum per humanam conditionem licet, similem reddit. Acciaj. comm. in lib. 7. Eth. c. 1. p. 562. Joh. Magir. comm. in Arist. Ethic. lib. 7. c. 1. p. 640. Henr. Nic. Gymn. Eth. exerc. 14. th. 15.

III. *Virtus heroica est omnium virtutum moralium.*

Non autem solum est (1) virtutum *moralium*, sed & *intellectualium*, quamvis *potissimum* sit moralium; & quidem (2) non sine discrimine, sed additâ hac limitatione, ut *primario* sit earum, quarum major difficultas, dignitas & necessitas; *secundario* reliquarum. Piccol. phil. de mor. grad. 6 cap. 4 p. 535 seqq. Heider. phil. mor. part. 2. quæst. 3. p. 411. Thom. Sagitt. exerc. Eth. exot. 16. th. 2. p. 395. seq. Casp. Barthol. enchir. Ethic. part. gen. cap. 9. Hawenreut. in quæst. Ethic. th. 90.

IV. *Virtus heroica & communis differunt.*

Non *specie*, ita enim circa idem versantur objectum